



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>




This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.








600003775S

26-775













DE *huer? 1827*
INDOLE LINGUAE SINICAE
DISSERTATIO,

QUAM
ANNUENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
ORDINE
PRO VENIA LEGENDI, LINGUASQUE
ET LITTERAS ORIENTALES DOCENDI
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
PUBLICO DOCTORUM EXAMINI SUBMITTET

DIE XVIII. MAII MDCCCXXVI

AUCTOR

GUILIELMUS SCHOTT
PHILOS. DOCT. ART. LIBER. MAGISTER.



HALIS SAXONUM
IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.

1026.

705.

100

100

V I R O

SUMME VENERANDO

DOCTISSIMO

L. S C H U L Z E


POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI
A CONSILIIIS SUPREMIS SANCTIORIBVS

FAUTORI HONORATISSIMO

TENUES HASCE PRIMITIAS

VERECUNDE OFFERT

AUCTOR.



Cum in eo sim, ut opus praestantissimum Socratis sinici, quod Lün - yü inscribitur, lingua vernacula redditum, publici iuris faciam, impetrare a me non possum, quin praeludii instar hisce pagellis de indole linguae sinicae, nec non de methodo, in eadem addiscenda maxime probabili, observationes praemittam. Triennium fere praeterlapsum est, ex quo, iussu et auspiciis magni Borussorum regis, Domini nostri longe clementissimi, paucis quidem, sed iisdem praeclaris subsidiis litterariis instructus, duorumque Sinen- sium, e patriae finibus profugorum, vel eruditione, vel certe voluntate, quae, ut desint vires, semper laudanda est, aliquantum sublevatus, ingentem ope- ris molem humeris sustuli, sublatamque pro viribus sustinui. Negari quidem non potest, in eruditione mea hucusque plurima desiderari, quibus Sinologus, omnibus numeris absolutus, instructus esse debeat; cum vero per exiguum triennii spatium id unice spe- ctaverim, ut, quibus tempus et ingenium impedimento erant, eorundem notitiam industria et improbo labore assequeretur, nihil obstare mihi videtur, quin hoc spe- cimen doctorum virorum oculis modeste subiiciam. Tu vero, benigne lector, Terentianum illud: homo sum, humani nihil a me alienum puto, de me quoque dictum velis et ignoscas rogo, si voces sini- cas, in hoc opusculo diffusas, litteris latinis exaratas inveneris. Nondum Typothetae nostri, alias totius

fere Orientis spoliis onusti, et universi terrarum orbis alphabeta carceribus suis inclusa tenentes, id assecuti sunt, ut hieroglyphorum quoque Sinensium innumeras legiones captivas et vinctas currui suo triumphali alligare queant. Quocirca contentus esto, si paucorum tantum in fronte libri Lün - yü characterum copiam tibi faciemus, qui sufficient ut, in limine sanctuarii constitutus, intelligas, qualis tibi labyrinthus sit pervagandus, donec ipsa penetralia et קדש קדשיוֹ in-
inspicere possis. Valeas.

§. 1. *De indole linguae sinicae.*

Lingua sinica, ut inter omnes constat, monosyllabis, per immensum terrae tractum a Gange flumine usque ad oceanum orientalem, diffusis linguis adnumeranda earundemque antiquissima et simplicissima iure est habenda. Constat vero exiguo vocum numero; tamen, si varietatem accentuum, multiplicem vocum singularum significationem, licentiamque in vocibus componendis spectes, inter copiosissimas orbis terrarum linguas ponitur.

Scriptura Sinensium, iam a primis initiis hieroglyphica, linguae orali aptissime quadrat. Alphabete sapienter non utuntur, cum voces homophonae et homoeophonae, quibus characteres hieroglyphici, quorum ingens est numerus, pronuntiantur, solis litterarum ductibus nullo modo inter se distingui possint, quod satis docet nostra vel Nominum propriorum vel appellativorum sinicorum pronuntiandi et scribendi ratio. Nisi character sinicus, rei imago, adscriptus fuerit, peraeque significationem cuiuslibet vocis divinare possumus, quae difficultas mire augetur, si voces, litteris expressae, accentuum quoque notis destitutae sunt. Litterarum igitur, saepius repetendarum,

A *

vicem supplent per characteres antiquissimae originis, quorum singuli singulis vocibus linguae oralis respondent, et initio quidem vocum numerum haud excesserunt: deinde, cum lingua magis magisque a philosophis poëtisque excoleretur, illi paulatim ad magnam multitudinem excreverunt, quin exigua vocabulorum copia linguae oralis adhuc augetur; ita ut saepius multi, figura quidem et significatione diversissimi characteres, unico tantum, eodemque ne tantillum quidem immutato sono proferantur. Quae lingua oralis habet vocabula, sono inter se differentia, 450 tantum, per varietatem accentuum ad 1203 fere evecta, numerantur *).

Quae vero accentuum intonationes tam subtiliter inter se distinguuntur, tamque delicate pronuntiantur, ut nostratium auribus nonnisi longo usu sint percipiendae, et multo difficilius pronuntiandae; unde lingua sinica imperitiis barbara et monotona videtur, cum pronuntiationis diversitas subtilior, Sinensibus tam clara et perspicua, linguis auribusque nostris inaccessa maneat.

Lexica, ab indigenis conscripta, alia 30,000 characterum, 50—80,000 alia continere dicuntur, ita ut, si voces aequabiliter inter imagines distribuerentur, facile characteres triginta, immo sexaginta, unico tantum sono pronuntiarum possint. Neque vero habemus, quod tanto hieroglyphorum numero perterriti stupeamus, cum longe plurima synonymis constant, qui-

*) Vocis intonationes, seu accentus, quatuor exstant: primum aequalis (\wedge), qui uno tenore, neque nimis exaltata, neque depressa voce, profertur: deinde altus ($\underline{\wedge}$), voce exaltata: tum procedens ($\underset{_}{\wedge}$) sono primum aequali, deinde paululum exaltato: postremo brevis ($\underline{\underline{\wedge}}$), vocabuli brevissima et abscissa quasi pronuntiatione proferendus.

bus scribendi quaedam luxuries originem dedit, quorumque perpauca in libris scripta occurrunt. Imaginum 10,000 vel etiam 6,000 numerus ad legendos et intelligendos cuiusvis generis libros plane sufficit *).

Ne pronuntiationem quidem curare oportet eum, qui nonnisi characterum sensum eruere conatur. Scriptura Sinensium in qualibet lingua, vel Europaea vel Asiatica, legi et optime intelligi potest. Non enim, ut in ceteris linguis, necesse est, ut ad sensum vocis cuiuscunque assequendum litteras Alphabeti, quibus componitur, discamus, sed imaginis ipsissimam formam vel compositionis rationem intuentes, sensum, per characterem expressum una percipimus. Figurae, quae hominem, coelum, solem denotant, sinice jîn, tîan, jÿ, pronuntiantur, sed nihil impedit, quominus easdem vel germanice Mensch, Himmel, Sonne, vel hispanice hombre, cielo, sol, etc. legamus. Certe Sinenses quoque peculiarem suam constructionis modum habent, a reliquarum linguarum ratione magis minusve abhorrentem: in periodis formandis characteres eadem serie, qua voces linguae orales, collocantur; hunc vero constructionis modum e characteribus ipsis haurire possis. Exempli vicem gerat exordium orationis dominicae: pater noster,

*) Beatus V a t e r u s, cuius magna de studio linguarum, ut veterum, ita recentiorum, et praeclara merita nulla unquam delebit oblivio, in opere quod inscribitur: *Analekten der Sprachenkunde* (Heft I. 1820) characterum tredecim millia ad usum quotidianum, et res publice gerendas sufficere putat. Cum autem Sinenses quamplurimis characteribus in libris philosophici, poetici et historici argumenti utantur, duplicem fere numerum ad libros cuiusvis argumenti intelligendos callere nos oporteret. Minime quidem. Ad negotia publica et privata tribus iam characterum millibus contentus esse poteris.

qui es in coelis, quod Sinenses lingua sua, vel scripta, vel orali, sic reddunt: ines coelis noster pater qui *) (dsái tían ngò-mên fú dschè) **). Igitur, si ex Grammaticae regulis nobis liquet, imaginem quae in esse alicui rei significat, vocique dsái respondet, vulgò praeponi characteri, qui rem denotat, cui inest aliquid; Pronomen autem possessivum ante Substantivi, ad quod refertur, figuram: Pronomen denique relativum sub finem collocari: iam nihil obstat, quin sententiam illam in qualibet alia lingua legere possimus. Francogallus voces: aux cieux est nôtre père qui, Hispanus: en los cielos estás nuestro padre que, statim in ordinem, linguis suis vernaculis proprium, redigent: nôtre père, qui est aux cieux — padre nuestro, que estás en los cielos.

Lingua sinica, et scripta et oralis, neque Declinationibus nec Coniugationibus, vocum singularum diversa forma expressis, utitur. Grammatica igitur sinica, licet partium orationis divisionem quod attinet, a ceterarum linguarum ratione non admodum differat, tamen partem etymologicam habet perexiguam, cum Pronomen, Verbum, Nomen, Particulae, semper eandem formam retineant, in Substantivis non-

*) Pronomen relativum, quemadmodum apud Turcas, Verbo postponi solet. Eiusdem igitur orat. dom. exordium, in versione turcica, quae mihi innotuit, hac ratione expressum: *سن بيزم بابامز كه ككلره* bizüm babamüz ki guglerde sin: noster pater qui in coelis es, elegantius quoque reddi posset: *ككلره اولانكه بيزم بابامز* guglerde olanki bizüm babamüz: in coelis es qui noster pater.

***) Vel Cantonensium dialecto: dsoi tin ngo-men hu dsiä.

nisi Genitivus et Pluralis voce distincta, Nomini adiuncta, exprimantur, itemque in Verbo Temporum et Modorum signa distinctis vocabulis, Verba vel praecedentibus, vel insequentibus, denotentur. Ex quibus apparet, in omnibus Grammaticae regulis rationem quandam syntacticam observari, et Grammaticam sinicam omnino *συντακτικῶς* esse componendam atque discendam. Pauca etiam vocabula reperies, quae unam tantum orationis partem significant. Hoc si obtineret, linguae Sinensium scriptae, licet characterum decem vel duodecim millia in usu sint, minime locum inter linguas copiosissimas concedere auderem. Plurima, prout in oratione collocantur, Nominis, Verbi, non raro etiam Particularum significationem includere possunt; sed nulla est significatio, quin membrorum periodi structura et orationis contextu percipi possit, ita ut nihil impediatur, quominus periodi cuiuscunque sensum, modo ne membra necessaria elliptice omittantur, commode assequamur. In omni librorum genere, qui stylo recentiori, quem eundem Guan-choa*), seu linguam mandarinicam appellant, conscripti sunt, ambiguitates tam raro inveniuntur, ut, modo syntaxeos regulas variamque characterum indolem in promptu habeas, fere nunquam haerere vel dubius esse possis. Aliis difficultatibus libri canonici et stylo antiquo scripti laborant, ubi scribendi genus praecisum, abruptum et metaphoris plenum non mediocrem in litteris sinicis usum et eruditionem, non paucam lectoris sagacitatem requirit. Sed librorum styli antiqui vel unicus, probe manu diurna et nocturna versatus, et commentatorum Sinensium praestantissimorum ope perlectus, ad reliquorum omnium notitiam et intelligentiam veluti manu ducit. Accedit quod

*) Non Kwau-kwa, ut in beati Väteri Analectis Typhothetarum errore legitur.

librorum canonicorum secundi ordinis editiones exstant, versione, scholiis selectis et annotationibus instructae, inter quas libro *Dschung-yung*, clarissimi *Remusatii* cura edito, palma tribuenda est, cuius opera felicissimum nobis aditum ad monumenta litteraria *Sinensium* intelligenda struemus, ita ut in huius quoque linguae indefesso studio, per duos vel maxime tres annos continuato, tantum proficiamus, ut librorum et antiqui et recentioris styli, pariter atque in ceteris *Asiae* linguis, notitiam quandam nobis comparare posse videamur *).

Minime igitur audiendi sunt, qui linguae sinicae tantam esse difficultatem censent, ut hominis integram aetatem ad solidiorem eius notitiam non sufficere opinentur. Haec mera sunt praeiudicia, ab illis, quibus regnum *Sinense* primum innotuit, ob scripturae genus, hucusque nunquam visum, stupore percussis, concepta, et posteritati fideliter tradita. Paucos invenies inter *Sinenses*, quin saltem duo vel tria millia characterum memoria teneant, qui numerus ad epistolas legendas, scribendas, librosque levioris argumenti intelligendos iam optime suppeditat: tamque

*) Credi vix potest, quantum in eo sibi placeant rerum scriptores, geographi et *Encyclopaediarum* collaboratores, ut *Sinensium* linguam et litteraturam densissimis tenebris obducant. Nihil falso, inepte, nugatorie dictum est, quin ab illis bona fide repetatur, confirmetur et pro arbitrio exornetur. Auctores probatissimos adire rem supervacaneam neque operae pretium putant, quasi tam parum intersit, utrum veri an falsi rumores de nobilissima illa lingua divulgentur. Ne vero rigidius haec tibi dixisse videar, conferas velim articulum: *chinesische Sprache, Schrift und Literatur*, *Encyclopaediae reali nostrae (Conversations-Lexikon)* insertum, quo perlecto quivis, huius litterarum generis vel mediocriter peritus, exclamabit: quot verba, tot ineptiae!

pauci reperiuntur, qui nulla omnino characterum notitia instructi sunt, ut eos in imperio Sinensi vix maiori numero, quam apud nostrates Alphabeti litterarum ignaros deprehendas. Quodsi ludimagistri Sineses commodiori uterentur methodo in characteribus docendis, discipuli, adolescentiae limites vix egressi, omnis fere generis libros nullo impedimento legere, plurimosque, stylo antiquo conscriptos, etiam interpretari possent. Quippe styli alia est ratio quam characterum, et Germanis, qui versa non sunt in philosophorum poëtarumque (e. g. Kantii vel Klopstockii) monumentis litterariis, eorundem sensum penitus assequi non minus difficile est, quam Sinensibus indoctis, qui ad lectionem sacrorum librorum accedunt.

Postremo et nugae esse confitendum est, quae ab iis, qui in imperio Sinensi itinera fecerunt, linguae sinicae imperitis, divulgatae sunt: verborum, quibus Sineses in familiari sermone uterentur, eam esse penuriam, ut Sinensibus non raro ad characteres confugiendum sit, quos vel umbraculi opera, vel manuum brachiorumque agitatione in aerem pingerent. Cachinnum aegre sustinuerunt discipuli nostri, cum talem disputandi methodum, popularibus suis a viatoribus nonnullis, ceterum fide dignissimis, tributam, cum illis communicarem. Negari quidem non potest, Sinensium optimates, cum invicem colloquuntur, variis manuum et totius corporis gestibus uti, sed hoc eo consilio non faciunt, ut imaginum in aerem pictura se mutuo intelligant, verum ut decoris urbanitatisque officia sibi praestent, quae multa sunt apud Sineses, et difficillima. Lingua sinica oralis, licet simplicissima, et vocum monosyllabarum exiguo numero constans, ob accentuum varietatem verborumque connexionem infinita dictionum copia gaudet, nec unquam,

modo accentus bene pronuntietur, et compositio plurium vocabulorum recte adhibeatur, vel minima in dictionibus ambiguitas residere potest.

Intonationis autem diversitas cum nondum sufficiat, magnam idearum copiam ut loquendo exprimamus: linguae sinicae inventores iis monosyllabis, quae ne accentu quidem distinguuntur, significationem alienissimam sapienter tribuerunt: longius etiam procedentes, singulis vocibus vel synonyma, e linguae scriptae thesauro deprompta, vel voces cognatas subiunxerunt, ut, si certe difficultas aliqua remanere possit, omne dubium hoc adiumento confestim tolleretur. Exemplum habeas in voce *dáo*, accentu procedente instructa, quae Verborum ducere, surripere, accedere, operire, pedibus calcare, Substantivorum autem vexillum, frumentum, via significationem habere potest. Quodsi autem viae notionem distinctius indicare velimus, adiungenda nobis erit alia vox *lú*, cui, inter multas alias, viae significatio cum voce *dáo* communis est. Cum igitur praeter significationem viae, utrique syllabae communem, vocum *dáo* et *lú* significationes nullam inter se correlationem habeant, compositum *dáo - lú* nihil praeter viam significare potest. Diversissimi autem generis composita emergerent accentibus immutatis, ut *dáo - lù*, *dâo - lù*, *dào - lù*, *dâo - lù* etc. etc.

Non raro etiam voci ambiguae significationis alia vox, ordinis rerum, ad quem pertinet monosyllaba praecedens, nota subiungitur. Sic *fú* inter varias significationes etiam patrem, *mù*: matrem significat. Si distinctius, ne cum aliis confundatur, patrem seu matrem exprimere velint Sinenses, adiungunt syllabam *zîn*: cognatus, agnatus, et dicunt *fú - zîn*, *mù - zîn*, quasi pater parens, ma-

ter parens. Etenim fú - zîn, mù - zîn, salvis accentibus hisce, nunquam de alia re intelligi possunt.

Infinitus est talium compositionum in lingua sinica numerus, cum nullum fere sit Verbum vel Substantivum, quod synonymis careat. Sinenses igitur peculiari sua dictionum copia gaudent, nec ullo modo linguae oralis penuriam iure conqueri possunt. Ne indigenis quidem nostris in mutuo colloquio characteres opus erant: summa celeritate voces ore fuderunt, et non saepius quam nostri homines in sermone se interpellarunt dicentes: haec quidem non recte intellexi (ngò m mêng - bāk), vel simile quid.

Barbaram putant Sinensium linguam, quod nullas habeat inflexiones, quibus ceterarum linguarum plurimae turgent, in Verbis pauca Temporum atque inprimis Modorum signa, varias, easque non raro diversissimas eiusdem characteris significationes etc. etc. Haec omnia negari quidem non possunt, sed cur lingua Sinensium hanc ob causam barbara appellanda sit, non video. Linguarum inventores, quibus grammaticae alicuius, omnibus numeris absolutae, species obversatur, vel in eo laborant, ut nonnisi partes orationis maxime necessarias exprimant, omissis omnibus iis, quibus ad lucidam cogitationum nostrarum explanationem carere possumus; vel ingenii acumen in artificiosa vocum inflexione atque structura exercent. At qui sapienter reticet, non minorem laudem meretur, quam qui studiose exornat et amplificat. Sinenses non latuisse, quid constituere debeat Grammaticam, ex admirabili vocum singularum, prout vel substantive, vel adverbialiter etc. accipiendae sunt, structura et connexione evincitur. Omnino vituperium illud: brevis esse laboro, obscurus fio, Sinensibus applicari non potest.

Si Temporum absolutorum et relativorum rationem, si Modorum discrimina spectes, praeclara qui-

dem sunt, et ingenio humano dignissima, sed nusquam ita necessaria, ut iis carere omnino non possis. Universae orationis habitus optime demonstrat, quid subiunctive, quid optative, in Temporum formatione quid absolute vel relative accipiendum sit. Casuum etiam, Generisque discrimen, diversa vocum terminatione expressum, haud aegre desideremus. Varie quidem, secundum orationis contextum accipi possunt vocabula sinica non parca, et singulae voces Nomina, Verba, Particulas significare possunt; sed nunquam e tali usu vel minima difficultas emergit. Conferas monosyllabam sîn, quae, Substantivo praeposita, Adiectivum est: ergo sîn jîn, homo fidelis; Substantivo postposita, Verbum: jîn sîn, homo fidelis est; Verbo praeposita, Adverbium e. g. sîn hîng: fideliter agere.

Multi sunt, qui scripturam Sinensium hieroglyphicam ob id ipsum non tam commodam esse putant, quam Alphabeti litteras, cum Nomina peregrina quoque characteribus reddere oporteat, ubi multum defigmentur necesse sit. Proh Juppiter! Num unum Alphabetum gentis cuiuslibet ad exactam Nominum peregrinorum scripturam sufficit? Alphabeta singulorum gentium plerumque non nisi eas litteras continent, quibus lingua sua vernacula utuntur. Si verbi causa Germani Nomina peregrina suis litteris exprimere velint, vel eorundem scriptionem genuinam retinere oportebit, ut in vocibus anglicis, gallicis, italicis, hispanicis *), vel, si gentes peregrinae proprium suum

*) Nomen francogallicum Boileau e. g. ab imperitis semper pronuntiabitur: Bo-i-le-a-u, anglicum Castle-reagh; Cast-le-re-agh. Si scriberemus: Boalo, Cäs's'lrîh, haec ipsa nom. prp. Francogallicorum, vel Anglorum ratione scripta, peraeque divinari possent.

habeant Alphabetum, ut in Europa Russi, et Orientales omnes, danda erit opera, ut litterae quibus caremus, aliis litteris ad earum pronuntiationem proxime accedentibus exprimantur. Sinenses, qui secundum pronuntiationem tantum scribere possunt, in voce Boileau scribenda tribus utentur characteribus, bo, a et lo pronuntiandis, omnesque uncinis includent, quae monere debent lectorem, pronuntiationem tantum, non significationem valere. Satis quidem constat, in lingua sinica litteras nonnullas plane desiderari, omnibus fere Europae linguis communes; sed nihilominus Nom. prp. peregrina nunquam adeo defigurantur, ut dubius esse possis, quid exprimere velint. Plures Consonantes in vocibus peregrinis, Vocali non intercedente, sibi mutuo succedentes, in totidem novas syllabas dividunt, Vocali ɛ vel ɨ (sono brevi) terminatas. Scribent igitur lei-bɛ-ni-zɛ, sed pronuntiabunt Leibnitz, modo exercitatione semetipsos assueverint ad pronuntiationem Consonantium duriorum *). Restat, ut Grammaticae sinicae rationem breviter illustremus.

§. 2. *Phraseologia sinica.*

In omnibus phrasibus sinicis, ubi nihil subintelligitur, partes singulae hac ratione construuntur: Subiectum praemittitur: sequitur Verbum eiusque Comple-

*) Versionis libb. Novi Testamenti sinicae auctores vocem graecam *τάλαντον* voce anglica Sterling reddentes, characteribus sinicis sɨ-te-ling scripserunt, Quod vocabulum discipulus meus A-hok, Cantonensis, cum deprehendisset, illico Sterling pronuntiandum esse ratus, versione Lutheri germanica collata, comperuit, quo consilio interpretes illam potissimum vocem elegerint.

mentum directum atque indirectum, e. g. wâng cháo schén: rex amat virtutem. Complementum indirectum vel Particulae ope vel sine Particula Verbo annectitur: tîan - dsü nêng dsían jîn yü tîan: coeli filius (imperator) potest designare virum ad coelum: yü dschî tîan - hia: donare eum imperio. Eleganter Complementum directum Verbo suo praeponitur: bǎ ngú dschî: non me novit, loco bǎ dschî ngú; vel Complementum indirectum Verbo et Complemento directo, adiuncta Praepositione: ì tîan - hiá yü jîn, quasi dicas: ex imperio donare virum, pro yü jîn tîan - hiá.

Lingua turcica Verbum regulariter habet in fine, praecedentibus Complementis, ut: عورت آلف 'ä v - ret almak: feminae nubere: لفا بكا بر ايوچه ات باغشلادي agha banga bir ejüdsche at baghischladi: dominus mihi bonum equum donavit; in familiari tamen, et imprimis poetico sermone, Complementum non raro postponunt. In Persicis Nomen rectum Verbo vel praeponitur, vel postponitur, prout loquenti sive scribenti convenit:

آن مردرا دیدم an merdra didem: hunc virum vidi; ز من گفترسی بترس از خدا zi men ger netersi, beters ez choda: me si non times, time Deum. Linguae semiticae Verbum regens praeponere amant: قَتَلْتُ عَمْرًا, interfeci

Amruum, أَطَعْتُ عَثْمَانَ خَبْرًا edendum proposui Othmano panem. Si Complementum per inversionem ante Verbum collocatur, saepissime, ut in Sinicis, Praepositionem (之) acquirit, e. g. 安

ان تعبرون الرويا pro: كُنْتُمْ لِلرُّوْيَا تَعْبِرُونَ (Koran. Sur. 12, v. 43) cf. exemplum superius allatum: i tian-hiá yü jîn.

Dictiones modificantes in lingua sinica praecedere solent eas, quibus iungi debent. Adiectivum e. g. praeponitur Substantivo suo: schíng jîn, sanctus vir: ngò gían dá schú, ego video magnam arborem. Turcae eodem modo: گۈزل ار güzel er, pulcher vir, يرامز آدملر jaramaz ademler, improbi homines, eandemque regulam in linguis germanicae originis praevalere, nemo ignorat.

Nomen rectum seu Genitivus ante Nomen regens nulla exceptione collocatur, nonnunquam interpositis Particulis dschî vel dĩ, Genitivum indicantibus, ut: mîn lÿ seu mîn dschî lÿ, populi vires: tian míng (tían dĩ míng) coeli mandatum*). Non aliter apud Turcas, si vocabulorum unum est mere tataricum: باشانك يولداسحي paschanüng joldaschi, Bassae amicus: وزيرك قونداسحي vezi-rüng karindaschi, Veziri frater etc. **).

*) Idem obtinet in multis Compositis, ut: tian-dsü, coeli filius (imperator): tian-niü, coeli filia (hirundo): fù-yüan, urbis primariae hortus (praefectus urbi) etc. etc.

***) Appositionis exempla sint Yáng-dsü giâng, Yáng-dsü fluvius: Nân-tschâng fù, Nân-tschâng urbs primi ordinis, ut apud Latinos et Graecos. Sinenses autem Genitivi constructionem secutos esse censeo. Sic Turcae Appositioni Pronominis etiam possessivi suffixum adiungunt, e. g. بيج شهري Betsch sheh-ri, Vienna urbs (eius): طونا ار مغي Tuna ir-

Pronomen etiam possessivum ita exprimunt Sineses, ut Pronomen personale, saepius adiuncta Particula dĩ Nomini praeponant: ng ò (dĩ) mù - z ì n: mei (mea) mater. Turcae dicunt: **بنم انام** *) benüm anam: mea mater.

Adverbium ante Verbum, reliquas Particulas ante Nomen et Verbum collocant. **Gú d schî**, certe scio: dsü-lâi, filii more venit**): schí-dsó assistendo sedebat (assidebat). In exemplo posteriori animadvertas, Verbum alio Verbo praepositum, non raro significationem istius modificare, Adverbiique, saepius etiam Praepositionis vicem supplere. Sinenses igitur more Hebraeorum dicunt: **כי לאי דסו**, (**וישב ויעש**) rediit et fecit, iterum fecit.

Propositiones hypotheticae ante Prop. affirmativas, non raro praecedente Coniunctione, locum suum habent, e. g. **súi yeù tâi tschî niaò schéu kî nêng dũ lǒ**: licet habeat turrem, lacusque, avesque, bestiasque, qui possit solus laetari? Hanc quoque regulam in omnibus fere linguis deprehendes.

Subiectum si omittitur, est vel Pronomen personale, vel in praecedentium phrasium una iam occurrit.

Si Verbum desideratur, est Verbum Substantivum, vel quodvis aliud Verbum quod facile suppleri

maghi, Danubius fluvius (eius); Francogalli: la ville de Vienne; Itali: la città di Vienna.

*) **بنم** benüm est Genit. Pronominis person. **بن** ben, ego.

***) Hanc quidem regulam in omnibus fere linguis observari scimus.

potest, vel in praecedentibus cum alio subiecto et complemento iam expressum.

Si duo Substantiva sibi mutuo succedunt, prius vel in statu regiminis est, vel inter utrumque Coniunctio copulativa et collocari debet, vel denique synonyma sunt.

Si duo Verba se mutuo excipiunt, non synonyma, prius vel est auxiliare, vel adverbialiter positum.

Ellipseos exempla, e libro Lün-yü desumpta, duo tibi proponam:

Dsü yuëi jîn lö b̄ jîn jû lì chō jû lō chō:
 homo et non bona indole, ad decorum quomodo? Ad laetitiam quomodo? In priori membro nemo non videt, supplendum esse Verbum auxiliare est vel habet (qui bona indole non est: qui bonam indolem non habet): deinde in verbis: ad decorum quomodo: ad laetitiam quomodo, lectori statim se offert accedet, pertinet. Sensum igitur habemus: qui bona indole praeditus non est, qua ratione ad decorum accedere poterit? — Lì jîn 'wêi mèi ds̄ b̄ tschù jîn yân d̄ dschî: rustica virtus est amabilis quaerunt (virtutem qui) non commorantur (qui)* quomodo attingere (possunt) sapientiam? Substantivum virtus in secundo periodi membro non repetitur, cum in priori iam occurrat.

§. 3. *Observationes miscellaneae.*

Numerus pluralis, in antiquo praesertim stylo, Particulis exprimi non solet. Jîn lâi, homo venit

*) I. e. hominum rure habitantium consuetudinem qui fugiunt.

vel homines veniunt. Si certe opus erit Particula, numeri signo, eam vel praeponent vel postponent. Particulae praepositivae sunt: dschûng, dschû, schü, dô (omnes, multi) — postpositivae: giâi, giü, hîan, dû (omnes) dschûng jîn, omnes homines pro: homines — jîn giü, homines (omnes) — dû bû kò dĕ, omnia non debent fieri, pro: wĕ dû bû kò dĕ: res omnes etc. Pluralis, ordinem denotans, in stylo recentiori Particula dĕng, ordo, exprimitur, ut: 'gò dĕng, ego ordo (nos eiusdem ordinis). In linguis Europae nonnullis, e. g. francogallica vox autres, (alii) Pronominis Numero plurali adiuncta, ordinis est signum, ut: nous autres laboureurs; vous autres médecins*).

Participia formant a Verbo immutato, solum addita Particula relativa dschè (qui) v. c. szü dschè, qui servit, serviens; szü dschè, qui moritur, moriens. Haec etiam Particula, Adiectivis primitivis subiuncta, Substantivorum significationem illis tribuit: schíng, sanctus — schíng dschè: sanctus qui (scil. est), homo, cui adiectiv. sanctus applicari potest. Comparativum reddunt per Adiectivum nudum, subiuncta Particula yü (prae): hîan yü Yâo Schün, sapiens prae Yao et Schün (sapiensior quam Y. et S. imperatores) — bào yü gîn: auro pretiosius. Turcae Nominis comparati Positivo utuntur, praemisso Nomine, cui comparatur, in Ablativo (التونندن أيو) altünden ejü) linguae semiticae prorsus ut sinica: טוב מזהב — מן זהב

*) Sinice: 'gò - dĕng nûng - fâ, ni - dĕng i - sĕng. Hoc discrimen et in lingua hispanica extitisse suspicor, cum Hispani binis utantur Plur. formis (nos, nosotros; vos, vosotros) quas hodie quidem promiscue adhibent, sed primo initio haud confudisse videntur.

اطيب من — محبا على يوسف — טובنا

(*) الذهب.

Superlativus Particulis praepositis vel postpositis multum, summe, perquam, valde, redditur: gĩ gão, summe altus (altissimus); dschí schíng: sanctissimus; dá dĕ gĩ: magnus assequens fasti-
~~o: — (maximus). sia ò dĕ gĩ: — exiguum attingens arctum (sane exiguum) etc.~~ Turcis بك بيوك pek büjök, valde magnus; افراطله ifratile, زياده zijade, غايته ghajettile voci بيوك büjök praeposita: valde, vehementer, excessive etc. Pronomen ipse non raro per schîn vel gûng (corpus, persona) redditur: siêu schîn, concinnare corpus i. e. semetipsum: tian-dsü gûng gêng, coeli filius (imperator, διογενής) corpore arat pro ipse arat. Simili modo Hebraei, Aramaei et Arabes vocibus suis בְּיָדוֹ, בְּרַחֲמָיו etc. uti solent.

Pronomen relativum dschè, qui, semper sub finem propositionis collocatur: 'ái jîn dschè jîn chêng 'ái dschî, amat homines qui, homines constanter amant eum: wéi yèu í lö chéu kî giün dschè: nondum habuerunt probum et posthabuit suum principem qui. Turcae eodem modo **).

Verbum substantivum est, sunt (pro exstant) in Sinicis non aliter atque in lingua francogallica per habere exprimi solet: e. g. wéi yèu jîn lö í kî

*) Comp. absolute exprimitur Partic. yêu, ʻ, gêng (magis, amplius): ni gêng chàu: tu es melior — yü í yêu bí: vocis sensus magis proprius.

**) Cf. exemplum pag. 6. allatum.

zîn dschè, nondum fuerunt pii et negligentes suos parentes qui; francogallice: il n'y a pas encore eu d'homme pieux qui negligêât ses parens: yèu fë hið, sunt non studentes, il y a des hommes qui n'étudient pas.

Temporum notiones omittuntur, si modo sensus difficultatem nullam praebeat. Alias Praeteritum designant variis Particulis, zêng, ɿ, gí, leàò etc. quae vel praeposantur, vel postponantur. ~~zêng~~ ~~ɿ~~ ~~gí~~ ~~leàò~~ ~~etc.~~ ~~quae~~ ~~vel~~ ~~praeposantur,~~ ~~vel~~ ~~postponantur~~ ~~zêng~~ ~~ɿ~~ ~~gí~~ ~~leàò~~ ~~etc.~~ ~~quae~~ ~~vel~~ ~~praeposantur,~~ ~~vel~~ ~~postponantur~~ zêng, ɿ, gí, leàò etc. (n. praet.) de Yeu et Kieu interrogavisti — Futurum Particula dsiâng: 'ú dsiâng wén dschî: ego interrogabo eum.

Passivum haud exprimitur, si ambiguitas non adsit: dáo kí bŭ hîng, via non frequentatur. Hoc nemo interpretabitur: via non it, procedit, quod magna esset ineptia: fân szü yü dsë dschì, quaelibet res praeconsiderata tunc stat (firma est), minime: quaelibet res praeconsiderat, tunc stat! Si certe constructionis ordo dubium procreare possit, inter Verbum et Complementum suum collocant Particulam yü, a, ab: yèu sân nîan 'ái yü fú mù, habentes tres annos diligimur a patre matreque. Ista quidem propositio, ni Particula yü inter 'ái et fú intercederet, etiam sic intelligi posset: diligimus patrem et matrem. Aliis quoque Particulis, Passivum indicantibus, praesertim in libris recentioribus, utuntur.

Verbum dschö, aliis Verbis postpositum, significationem auget, vel actionem Verbi locum habuisse, agentemque ad scopum suum pervenisse confirmat, nec non saepius fortuito aliquid contigisse demonstrat, omninoque magnam habet cum Verbo hispanico *a c e r t a r* analogiam *). Exempla sint: zîn-

*) V. c. in phrasibus: no es posible acertar á referir-lo, narrare, ut par est, nequeo: acertar á hallar, à hacer etc.

fàng - dschö leào, quaesivi (synon.) (verb. affirm.) (n. praet.), est idem quod inveni scil. eum, ubi eventus quoque per vocem dschö exprimitur: wáng-dschö Bě gùng bían giáo dáo, aspiciens Bě dominum, tunc clamans ait, ubi dschö indicat, eum, qui postea exclamavit, dominum Bě non solum aspexisse verum etiam agnovisse.

Kiü (i re) ablationem, emissionem etc. indicat, quo sensu ɿ̄ lâi advenire, intus suscipere opponitur. Utrumque Verbis iungitur, Particularum latinarum ab et ad, vel germanicarum, quae separantur her, zu, weg, vicem gerens. E. g. nâ lâi, cape veni, (affer, bring her) nâ kiü, cape ito (aufer, nimm weg, trage fort) et sic porro *).

Optativus in stylo recentiori saepius exprimitur per bâ bŭ dĕ vel chén bŭ dĕ, oderim non assequi (utinam): 'ò chén bŭ dĕ kŭ tschŭ tâ dŭ sŭn gân bà yŭ gèu kŭ, ego utinam avellam foras eius (n. gen.) cor iecur dare (n. dat.) canibus vorare! i. e. utinam evellere possem cor et iecur eius, canibusque devoranda dare.

Particularum plurimae vel Nominum vel Verborum significationem primo habuerunt. E. g. dschŭ, Particula in vetere stylo usitatissima, primum erat imago ramusculi, e terra surgentis, unde sensum exeundi, migrandi etc. acquisivit: deinde significationes accepit derivatas erga, respectu, post etc. tum etiam Genitivi nota (quasi dicas: quod exit ab aliq. quod pertinet ad aliq.) facta est. — Yŭ proprie significat: dare, tradere: deinde omnino additionem, unionem, ɿ̄ simul esse denotat,

*) Sinenses etiam dicunt: hiö bŭ lâi, studere non venit, non addisco: schuě bŭ kiü, dicere non it, procedit, quasi dicas: non eloquor.

v. c. wên lö bǔ hīng yü bǔ wên tūng, audire et non exercere ad non audire simile: dsü chàn yân lì yü míng yü jín, Confucius raro loquebatur lucrum et fatum et humanitatem. — Dschì, pervenire, proprie Verbum, etiam usque ad significare potest: dáo zü pertingens hoc, usque ad hoc. Sed haec quidem hactenus.

§. 4. *Methodus.*

Qui ad linguae sinicae studium se accingunt, imprimis caveant, ne characteres mechanice memoriae imprimant. Hoc tam ieiunum esset, ut mox, taedio correpti, a nobilissimae linguae studio desisteremus. Non solum radix characterum investiganda, verum etiam compositionis ratio sedulo scrutanda est, ut intelligamus, quid potissimum spectaverint scripturae inventores in characteribus componendis. Sic in eo caractere, qui coniugem repraesentat, radicem invenies niü, mulier, additamentum vero duobus characteribus, quorum superior manum, inferior autem scopas denotat, constans. Horum igitur characterum coniunctione munus coniugis definitur. Amici intimi notionem e radice sîn, cor et additamento dschûng, medium, interius componunt, quasi dicas: vir, quem in cordis penetralibus gero — animi affectus eadem radice cor et additamento servus, mancipium (qui mancipium est cordis sui). Articulum definitum exprimunt radice bǔ, album et caractere obsoleto plures (qui albus est, eminent inter plures). In multis etiam compositionibus non tam sensum, quam prononciationem secuti sunt, ita ut radix genus significet, speciei vero sola prononciatio additamento exprimatur. Cyparissus e. g. sic pingitur: pro radice imaginem, omnibus arboribus comunem, ponunt, adiungunt vero characterem bǔ,

album, cuius pronuntiatio tantum valet, quocirca legendum est: arbor Bě, nomen sinicum cyparissi. Omnes characteres sinici antiquissimi erant imagines rerum, non solum plures, ut cl. Vaterus in Anal. contendit. Sed eorundem pars magna temporum cursu et elegantiae studio tantum a forma sua genuina deflexerunt, ut eorundem similitudinem cum rebus, quas pingunt, non amplius videre possimus. Hoc manifesto apparet ex hieroglyphorum, quae nonnunquam in lexicis occurrunt, antiquorum forma, quae tam similis esse solet rei, quam repraesentat, ut cuivis, etiam nulla radicum notione instructo, facile innotescat, quid significant. Cf. Characteres antiquos, in Klapprothii explicatione inscriptionis imperatoris Yü exat. Si porro clar. Vaterus de hieroglyphica characterum forma dubitans, characterem homo, unico ductu superaddito, magnum quid, duobus vero, coelum visibilem denotare monet, hoc argumentum a viris, quibus characteres componendi ratio non recte innotuerat, mutuam accepisse videtur. Character magnum non a characterem homo derivatur, sed ipse radix est seu radicalis, et in derivatis suis coelum habet. Magnitudinis autem notionem, quae non facile in abstracto pingi potest, arbitrario signo indicarunt Sinenses, ab eoque coeli derivarunt imaginem unico tantum ductu superaddito, qui unitatem denotat, inque radicum serie primum locum obtinet. Coelum igitur per unicum magnum i. e. spatium immensum (quod unice magnum dici possit, cum spatii partes non nisi relativam habeant magnitudinem), reddunt*).

Beatus Vaterus l. l. inde a pag. 21. ad fin. de methodo in huius linguae studio adhibenda disserens,

*) Character, qui coelum repraesentat, duabus lineis non scinditur, ut Vaterus l. l. sed una tantum, ad radicem dai (magnum) pertinente; alteram in characteris verticem ponunt.

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Second line of handwritten text, continuing the header or providing additional context.

Third line of handwritten text, possibly a date or a specific reference.

Fourth line of handwritten text, continuing the main body of the document.

Fifth line of handwritten text, providing further details or instructions.

Sixth line of handwritten text, continuing the narrative or list.

Seventh line of handwritten text, possibly a concluding statement or signature.


Eighth line of handwritten text, providing a final note or reference.


Ninth line of handwritten text, possibly a footer or a date.




T H E S E S.


- I. Vaticinia V. T. omnia, iis exceptis, quae libro Danielis continentur, minime post eventum scripta sunt.
 - II. Vox hebraica **מַדַּרְיָן** cur, quare, phrasi graecae **τί μαθών** haud respondet.
 - III. Hispanorum Articulus **el** non ab Articulo arabico **إل** (al, el) verum a Pronomine latino **ille** descendit.
 - IV. Linguarum affinitatem investigantes, scribendi magis quam pronuntiandi rationem considerare oportet.
 - V. Linguas polysyllabas a monosyllabis derivandas esse non censeo.
 - VI. Punctum Dagesch in voce **שְׁמִי** Dagesch forte mihi videtur.
 - VII. Confucius Monotheismum professus est; sed unicus Dei notionem cum plebe sapienter non communicavit.
-




































7

